

vestris sigillis sigillatis, quod tamen adhuc nunquam facere curavistis. Sed ipsum ab omnibus statutis per vos et capitulum Constant. ipsum dominum Felicem prepositum et preposituram suam et successores suos factis absolvere et ipsa statuta et omnia contenta in eis cassare et irritare, ymmo cassa et irrita pronuntiare vos velle obtulistis ipsi domino Felici, ut vos a solutione predictae pensionis annue liberaret, quod cum ipse Felix acceptare nollet, sed coram vobis predictos decanum et capitulum super revocatione dictorum statutorum et multorum aliorum articulorum cognovisset in jure vos nullo juris ordine observato, sed ex abrupto ex premissis commotus per vestram sententiam definitivam ipsos decanum et capitulum ab impetitione ipsius domini Felicis absolvistis condemnante ipsum dominum Felicem in expensis factis in lite et aliis multipliciter ipsum gravastis, a qua quidem sententia, si sic dici meretur, et gravaminibus ipse dominus Felix coram vobis et aliis ad sedem apostolicam appellavit de mense Augusti nuper preteriti; cum igitur juris quamvis beneficio etiam ex sola illa causa possit vos ut suspectum merito recusare idcirco vos ex ista causa videlicet appellationis et ejus pendentium specialiter et etiam ex premissis et infra scriptis causis vos ut suspectum recusat in causa inquisitionis, quam ex inimicitia et ad rogatum et procuracionem dictorum decani et capituli contra ipsum prosequi intendebatis et incepistis, et generaliter in omnibus causis sibi per vos vel coram vobis motis pendente negotio appellationis predicto. Et illam inimicitiam postea deduxistis in lucem, quia non obstantibus appellationibus suis vos post et contra appellationes predictas expensa taxastis et ipsum, ut infra certos terminos solveret, monuistis et alios processus vestros contra ipsum publicari mandastis et una inquisitionem contra ipsum accepistis. —

Item subsequenter vacante adhuc ecclesia parochiali in Horn, cujus collatio ad vos dinoscitur pertinere, vos obtulistis ipsi domino Felici preposito, quod ipsam ecclesiam conferre volebatis, cuicumque ipse Felix volebat, ut vos a solutione dicte pensionis liberaret, quod cum ipse Felix nollet, vos ipsam ecclesiam Jacobo de Urendorf contulistis receptis trecentis florenis ab ipso Jacobo per symoniacam pravitatem.

Item a tempore promotionis vestre et citra omnes in abbates electos in dioecesi vestra confirmastis et ipsos benedixistis receptis ab ipsis annatis sive primis fructibus ad placitum vestrum non ignorantes omnes episcopatus et abbatias fore sedi apostolice reservatas et sic de annatis sive primis fructibus camere domini pape debitis et eidem restituendis septem milia florenorum et ultra recepistis.

Item beneficia per constitutionem execrabilem vel licen-